

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gebri Arabis Chimia

Geber

Lugduni Batavorum, 1668

Imperfectorum metallorum defectum medicina suppleri, Superfluum vero
praeparatione tolli oportere. Cap. XIV

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

secundum ordinem corporum præparatio-
nem narremus. Postea verò & ipsius ar-
genti vivi coagulabilis. Sed & primo unius
generis molliciei scilicet : post hoc vero &
alterius. Primi quidem generis corporum
ponatur Saturni præparatio & Jovis ;
Postea verò & aliorum secundum suum or-
dinem determinatum : quia in præparatio-
ne corporum nihil superfluum ex profun-
do ipsius reinovendum : sed ex manifesto
potius.

*Imperfectorum metallorum defectum
medicina suppleri, Superfluum vero præ-
paratione tolli oportere.*

CAP. XIV.

Saturni verò præparatio multiplex adhi-
betur essentiæ, & Jovis similiter per ip-
sorum multiplicem gradum perfectionis
approximationis vel elongationis gra-
dum. Cum sit igitur aliud ex corrupen-
tibus quidem illorum profundo adveni-
ens ex sua naturæ radice innata, sulphureita-
tis scilicet terreitas, atque argenti vivi im-
puritas, in illorum creationis principiis
essentialiter commixta : Aliud verò super-
veniens, post primam illorum mixtionem,
corruptionem adducens, & sunt res primi
generis, sulphureitas comburens, & illius
impuritas, argenti vivi substantia foeda &
immun-

immunda : quæ omnia sunt Saturni & Jovis substantiam corruptentia. Sed horum quidem alterum impossibile est removeri per medicinam aliquam primi ordinis alicujus industriæ, vel per aliquod artificium quod igne perficitur. Alterum verò parvo adminiculo removeri contingit. Hoc quidem removendum esse impossibile advenit, propter hoc quod in principiis naturæ propriæ hujus generis corporum in veram essentiam commixtæ fuerunt, & vera essentia facta sunt. Ideoque cum non sit possibile veram rei cujusque in natura removere essentiam re permanente, non fuit possibile ab eis hæc corruptentia delere. Quamobrem putaverunt quidam Philosophorum per hoc ad artem non posse perveniri. Sed nos quidem & nostro tempore hanc inquirentes scientiam, pervenimus ad hoc idem: quod & similiter nullo ingeniorum præparationis modo, potuimus ignobilis corpora illustrare cum complemento sui fulgoris lucidi, quin contingeret illa ex toto corrumpi, infici, & penitus denigrari potius. Quapropter & nos similiter in stuporem adducti multi temporis spacio sub desperationis umbraculo delitimus. Redeuntes igitur ad cor nostrum, & nos ipsos torquentes immensæ cogitationum meditationis afflictionibus, respeximus à perfectione corpora diminuta, in
 profun-

profundo suæ naturæ foeda existere: & nihil ex eis fulgidum inveniri, cum in eis secundum naturam non sit. Non enim invenitur in re quod in illa non est. Cum igitur nihil perfecti in illis invenitur; necessariò & in eisdem nihil superfluum inveniri relinquitur in diversarum substantiarum separatione in illis, & in profundo suæ naturæ. Ideoque per hoc invenimus aliquid diminutum in illis fuisse, quod compleri necessariò accidit, per medicinam sibi convenientem, & diminutum in illis complementem. Est igitur diminutum in illis, paucitas argenti vivi, & non recta spissatio ejusdem. Igitur complementum erit illis argenti vivi multiplicatio, & spissatio bona, & fixio permanens. Hoc autem per medicinam ex illo creatam perficitur. Hæc enim cum ex argento vivo fuerit in esse deducta, per illius beneficium, luciditate splendoris, illorum fuscenedinem palliando celat, & tegit, & splendorem adducit, & in fulgorem convertit. Cum enim argentum vivum in medicina præparatum per nostrum artificium sit mundatum, & in substantiam purissimam & fulgidissimam redactum; projectum super diminuta à perfectione corpora, illustrabit & sua fixatione perficiet, suæque puritate convertet & firmabit perfectione completa. Hanc verò medicinam infra complete narraimus sermone

none ei conveniente. Relinquitur itaque ex præjacentibus necessario duplicem fore perfectionis inventionem necessariã. Unam quidem per medicinam quæ de commixto substantiam fœdam separet : alteram verò per medicinam , quæ illam sui fulgoris splendore palliando tegat , & illustrando perficiat. Cum nihil igitur superfluum, sed potius diminutum in profundo corporum imperfectorum contingat reperiri : si quid post primam mixtionem tamen superflui removeri expedit , necesse est id quod in manifesto suæ naturæ supervenit , tolli. Quod removeri diversis cū præparationibus; quas in hac oratione nos expedit enarrare, necessario continget. Primum quidem in eadem oratione Jovis & Saturni : Ultimò vero & aliorum , secundum ordinem.

De præparatione Saturni & Jovis.

C A P. XV.

PRæparantur igitur Saturnus & Jupiter præparationibus multiplicibus secundum majoris perfectioni approximationis necessitatem. Et hoc duobus modis; communi scilicet & speciali præparationis modo. Communis quidem est per gradus approximationis ad perfectionem multiples. Est enim unus gradus approximationis fulgor & substantia munda. Alter
vero